

*Omnes, ajens, q̄vi spiritualiter intelligunt Scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spirituales potentias accipere didicerunt, sicut galeas & scutum & gladium & alia multa.*

§. 2.

Plurimi dum ne vel cogitatione quidem ipsis licuit assequi, quomodo mente concipiendæ sint essentia una, tres verò hypostasēs realiter coëxistentes, varias sibi spinosasq; commenti sunt argutias, istos invicem conciliandi numeros. Insignem animi Eclipsin passus est Hierax, Seculi III. hæreticus, nimis ruditer essentiam assimilans divinam oleo lucernæ, ubi Pater ut primum, Filius ceu secundum flagret lumen, Spiritum S. verò nihil inde participare, sed eundem fuisse Melchisedechum, autumnans. Praxeas & Hermogenes tria tantummodò esse nomina somniarunt, quibus unica insigniatur Persona, quatenus & diversas facies & opera susceperit. Easdem cum hisce inflârunt tibias Noëtius, ejusq; discipulus Sabellius, latiùs spargens nefandum errorem, cognominati propterea cum sociennis Monarchici seu Patro-passiani, quòd juxta illorum dogma Pater sustinuerit, quæ ad Filium aliàs spectant, tormenta scilicet & mortem acerbissima. Sabellio succinit Samosatenus, non addens deliramenta, nempe Verbum seu λογον DEI esse idem, quod ratio vel ρημα in homine, inq; Scripturis Filium ejus vocari & non esse DEUM ipsum, minimè omnium illum JESUM, fuisse quidem hunc hominem justum, prolem Mariæ, & ex profectû divinitatem consecutum, minimè verò DEUM substantialem. Sic jam antea Seculo II. è Montani asseclis Artemon itemq; Beryllus inficiati erant, CHRISTUM fuisse distinctam à Patre Personam, anteqvam de Virgine nasceretur, nec propriam, sed paternam solummodò divinitatem in eò resedisse; in Synodò tamen deinceps ac Origine convictum esse Beryllum & saniori menti restitutum, autor est Eusebius. Circa idem tempus Helxai, medius inter Christianos, Judæos & Græcos, magis tamen Judaizans, Christum pro merâ habuit creaturâ, eumq; efformatum esse primò in corpus Adami, quod induat vel deponat pro lubitû, quando velit, Spiritum Sanct. verò sororem Christi.

Christi.